

vir domini Guillelmi de Amigdalea, et Jocelinus eius filius pecunia indigerent pro quibusdam suis negociis peragendis et pro ea invenienda satis laborassent nec possent aliquem invenire, qui vellet eis aliquam quantitatem pecunie mutuari, rogaverunt domum et fratres domus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Jerosolimitanorum, ut dictam pecunie quantitatem sibi invenirent, sub quibuscunque usuris possent, et se pro ipsis in dicto mutuo principaliter obligarent. Que dicta domus Alamanorum et fratres ipsius domus acceperunt quandam pecunie quantitatem a Iudeis et mercatoribus Senensibus sub gravibus usuris de mandato et voluntate predictæ domine Agnetis et eius filii Jocelini et dictam pecuniam sic mutuo receptam tradiderunt dicta domus Alamanorum et fratres ipsius domus predictæ domine Agneti et eius filio Jocelino. Cuius pecunie quantitatis predictæ cum usuris et ascensionibus facta diligenti ratione saldada inter dictam domum Alamanorum et fratres ipsius domus ex una parte et dictum Jocelinum ex altera, computatis etiam denariis, quos dicta domus Alamanorum pro dicto Jocelino solvit de eius mandato usque ad festum annunciationis dominice proxime venture, quod est ad viginti quatuor dies mensis Marcii proxime venturi currentibus annis domini ab incarnatione millesimo ducentesimo Lxxj, est et capit usque ad summam decem et septem milium bisanciorum auri sarracenatorum et quadringentorum et sexaginta bisanciorum et octo carublarum. Quam pecunie quantitatem predictæ Jocelinus predictus constitutus in presencia discreti viri domini Nicolai archidiaconi Acconensis meique notarii publici et testium infra-scriptorum ex certa sciencia et non per errorem per se et heredes suos promisit et convenit reddere et solvere religioso viro fratri Johanni de Westfalia, magno preceptori predictæ domus Alamanorum locum magistri eiusdem domus tenenti, pro ipsa domo recipienti et ipsi domui et fratribus eiusdem domus hinc ad predictum festum dominice annunciationis proxime venture sine briga, lite et questione seu dilatione et aliqua diminutione sub pena duppli tocius dicte quantitatis cum refectioe dampnorum expensorum et interesse reficiendorum simplici verbo dicti magni preceptoris vel alterius, qui posset petere pro dicta domo Alamanorum, sine aliqua alia probatione et taxatione iudicis, que pena tociens comitatur et exigatur cum effectu, quociens contra predicta vel aliquod predictorum fuerit ventum vel venire presumptum, et pena soluta vel non et dampnis et expensis et interesse refectis vel non, nichilominus omnia et singula supradicta et infradicenda in sua permaneant firmitate. Pro quibus omnibus et singulis observandis et adimplendis obligavit dominus Jocelinus specialiter et expresse omnia bona sua mobilia et immobilia ac etiam casale Acrei positum in terra Scandaleonis cum suis guastinis et pertinenciis, juribus et rationibus concedens ipsi magno preceptori et fratribus dicte domus Alamanorum et dicto domino in antea plenam licenciam et potestatem sua auctoritate sine aliqua alia auctoritate iudicis predicta bona sua ac etiam casale Acrei predictum cum predictis guastinis, pertinenciis et juribus suis capiendi et hiis utendi et fruendi et in solutum retinendi et aliis obligandi et